

Marsilius ficinus de religione
Rerhardi parisi de [illegible] doctrina
palephati [illegible] fabule
Eneas Silvius de ritu [illegible]
historia [illegible] [illegible]
Epla Clementis pape [illegible] ad Carolum [illegible]
[illegible] de Carolo 5
Epla philippi Calimachi
alia Epla [illegible]

1365 Martii 12. Universitatis Viennen-
sium.

Thet
5457

LIBELLVS PALAEPHATI GRAECI AVthoris quo aliquot ueteres fabulæ, unde tractæ sint narratur, studiosis hominibus apprime utilis.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI, ET Domino. D. Georgio Viennẽsi episcopo. Angelus Cospus. S. P. D.

VIdetur cõmode illud posse obseruari in legendis ueteribus poetis Antistes optime, qđ a Græcis traditũ est de cibo testudinis, ab eo scilicet uel penitꝰ tẽperandũ, uel multo utendũ esse. Si enĩ poetica figmẽta tantũ oblectatiõis causa legamus, nihil amplius subesse credẽtes, mirum est quãtũ obsint, cũ & deoꝝ & heroũ exẽplis, quædã nobis in oẽ nephas nascat̃ cõfidentia, idcirco maximus philosophorũ Plato, ex ea re. pu. quã pfectissimã scripsit, poetas eiiciẽdos admonet. Si uero quispiã in sanctiora illa poetarum penetralia sese dederit, agnoscet ꝓculdubio ea oĩa, quæ a philosophis magno ambitu uerboꝝ dicta sunt, a ueteribus poetis nec ignorata, nec prætertita fuisse, ut ꝓpemodũ poemata illa referre uideãtur silenos alcibiadis. Faciũt hoc diuini illi uates immutãt, augẽt res quæ olim cõtigerint, demũ sub quodã fabulæ ĩuolucro, latẽs nescio qd diuinũ ueluti p transennã ostẽdunt, nõ ꝓphanis, nõ inertibus, sed illis q lõgo studio & sudarũt & alserũt. Proinde si ex fide ueteres illas historias, uel secretiores poetarũ sensus excutere uolumus, sũmo nobis ĩgenio, uel authorũ maxime Græcoꝝ suppetiis opus est. Inter quos cũ nup Palæphati opusculũ, quo aliquot poeticæ fabulæ, unde cõfictæ sint, explicat̃, legerẽ, rei nouitate delectatꝰ latinis auribus illud supprimendũ nõ putaui, nomĩatim uero id tibi nũcupauimus, qđ eius materia & orationis sobrietas tuis sacris manibus & maturo iudicio nõ indigna uideat̃. Speramus autem deinceps nos, modo numina leua sinãt

adsitq; uocatus Apollo, alia nõ minoris emolumẽti edi/turos, quæ ut fidentius aliquãdo exeãt, hilari frõte & cã/dido anĩo hũc ipsum Palæphatũ in p̃sens accipe. Vale.

Index.

PALAEPHATI GRAECI AVTHORIS OPV-ſculũ, De falſis hiſtoriis. Angelo Coſpo interprete.

SVnt hominum nõnulli, qui narrationibus fabuloſis plenam adhibeãt fidem, ſapiẽtiæ & bonarũ artiũ omnino expertes, alii rurſum firmioris ingenii, & longo rerum uſu prudentes facti in uniuerſum negant huiuſmodi euenire poſſe. Mihi aũt uidetur, eoꝝ quæ dicũtur, nihil nõ factũ eſſe, nõ enim quæ fabuloſe tractãtur, uerbo tãtum ſunt, ut quicquid de iis ſcribatur, penitus uanum ſit, ſed prius re ipſa fuerũt, poſtea huiuſmodi ſermo in uulgus manauit. Quæcũqꝫ uero ſpecies ſeu imagines deſcriptæ olim ſunt & fictæ, quæ in præſens nõ ſint, eas plane aliquãdo fuiſſe nõ credamus. Si enim præter figmẽta illa, quidpiã olim factum fuit, nũc etiã eſt & in perpetuũ ꝓculdubio erit. Non parum autẽ laudationis merentur Meliſſus & Lamiſcus Samius, qui libros ſuos ita exorſi ſunt. Quæ pridem facta ſunt, ea & nũc eſſe, & deinceps futura credi par eſt. Sed eoꝝ, quæ olim euenerũt, nõ pauca poetæ & fabulatores in res incredẽdas & miracula uerterunt, quo admirationis aliquid cõſequantur. Ego autem nõ dubito talia euenire haud poſſe ſicuti deſcribuntur, Illud rurſus negare uix poſſum, niſi ea olim cõtigiſſent, monumẽtis nequaq̃ fuiſſe tradita. Peruagatus aũt non paucas regiones, & ſeniores uiros, quid de huiuſmodi rebus ſentiant, percunctatus, quæ ab illis accepi deſcribere nõ ſum ueritus, cum loca etiam ipſa, qualia ſint ꝑluſtrauerim. Igitur non ex aliorum Commentariis hæc ſcripturus ſum, Sed rem ipſam diligẽter perſcrutati, ita enarrabimus.

CENtauros ferarũ instar, equoꝝ oĩa habuisse, præter caput, proditum est, quos siquis ita esse crediderit, rem utiq; impossibilẽ affirmabit, cum hominis natura equi naturæ nõ cõueniat, nutrimentũ etiã cõpar nõ sit, neq; per os & guttur hũanũ eq cib9 demitti possit. Quod si huiusmodi forma olim fuisset, nunc eandẽ uideremus. Veritas autẽ hæc est. Cũ Thessaliæ Ixion rex imperaret, in Pelio mõte exasperata tauroꝝ multitudo uicina omnia male tuta reddiderat. In cultiora enim loca irrũpentes arboꝝ, frugũ & pecudũ stragem faciebãt, qua ex re Ixion, cuicũq; eos tauros cõprimeret, nõ paruam proposuit mercedẽ. tunc iuuenes quidam montani e pago cui nomen erat Nubes, equos sessorem pati instituerũt, cum prius curribus solũ homines ueherẽtur, eosq; inscendẽtes cũ tauris congressi sunt, & acriter insultãtes, eos cõficiebant. si quãdo uero a tauris impetebãtur, fuga eos ludificabãt cum equoꝝ uelocitate illos longe præterirẽt. Eisdẽ quiescẽtibus reuersi rursus ingruebãt, qua arte penitus cõfecti sunt. Indeq; centauroꝝ nomen, quod tauri cõfossi sint, nihil enim taurinũ centauri habent mixti ex homine & equo. Ex hoc labore mercedẽ ab ixiõe adepti gloriaq; & opibus aucti, in cõtumelias se se & ĩsolẽtiã cõuerterũt, multaq; infanda cõmittentes, nec a rege ixione se tẽperarunt. Is eo tempore Larissam urbem habitabat, eiusq; loci incolæ Lapithæ nũcupabantur. Quin etiam ab iis centauri ad festum conuiuiũ inuitati, temulenti eorũ uxores inuadũt, & equis inuectas abducunt in suos montes, ex quibus, se oppugnantes Lapithas facile deturbabãt, noctu etiã in plana descẽdentes insidias moliebantur, lucescente die abducta preda in mõ

tes recurrebant, quorum abeuntiũ cum equorũ terga & ipſorum capita e longinquo tantum uiderẽtur, nouo ſpectaculo homines moti dictitabant, centauros e nube uenientes, multas noxas cõmittere, a quo ſermõe datus eſt fabulæ locus, e nube ſcilicet equum uiro mixtum in monte editum eſt.

De Paſiphae.

FAbulantur paſiphaen deperiſſe taurũ in pratis errantẽ, dædalum uero ligneam uaccã fabricatũ, in ea paſiphaen incluſiſſe. Sicq; deluſum taurũ cũ muliere habuiſſe rem, e qua natus ſit puer capite bouis cætera humo. quod cõmentum ego ne quaquã crediderim, primũ enim diuerſæ formæ animãtia ſeſe diligere natura nõ dedit, ſic uti canis ſimiæ, lupus hyænæ, bubalus elephãti cõmiſceri poſſit, diuerſæ enim ſunt ſpecies. Quis demũ credat boui ligneæ taurũ coiuiſſe, occluſa in ea Paſiphae? Sed præ oĩbus abſurdum eſt, feminã cornutũ fœtũ ferre potuiſſe. Res proinde ita ſe habet. Aegrotabat ex genitalibus minos, curatuſq; a pandione Atheniẽſi cũ domũ rediret, eũ ſequutus eſt egregiæ formæ adoleſcẽs taurus nomĩe, cuius amore capta Paſiphae, cũ eo rem habuit, & filiũ cõcepit. Minos ſubducta tẽporis ratiõe, quo ex pudẽdis cœperat laborare, filium ſuũ nõ eſſe, quod eo tẽpore cum uxore nõ decubaſſet, ex tauro etiã eum genitũ eſſe, cognouit. pueri uitæ pepercit, quod liberorũ ſuoꝝ utiq; frater eſſet, ſed eũ in mõtana loca ablegauit deſtinatũ ad paſtoꝝ ſeruitia, quẽ illoꝝ officia mirifice uexantẽ, miſſis aliquot ciuibus minos ad ſe adduci iuſſit, ſi ſpõte ſequeretur, ſolutũ, ſin minus, uinctũ. eã rem perſentiẽs iuuenis ſeſe in tutiora mõtiũ loca recepit, abactiſq; gregibus ibi agebat, maior iterũ

hominũ uis ad eum coercendũ missa est. Ille tũc effosso ingenti cauo se in eo cõmuniuit. ubi dum se ut plurimum cõtinet, quãdocunq; minoi noxius quispiã supplicio affi/ciendus uidebatur, eo illũ deturbabat. Cõtigit eo tẽpore, ut bello Theseus caperetur, missoq; & ipsi ad cauũ illud, tanq̃ ad mortem certissimã, ariadna clanculum gladium subministrauit, quo Theseus minotaurũ cõfecit.

De Actæone.

VVLgatum est actæona ab suis canibus uoratũ fuisse, quæ res utiq; falsa est, cum dominos suos plurimũ dili/gant canes, uenaticiq; in uniuersum omnibus hominibus blãdiantur. Additur fabulæ, a diana in ceruũ cõmutatũ, a canibus eum fuisse discerptũ, quæ potestas dianæ non uidetur concedenda in re impossibili, ut homo ceruus, & ceruus homo fieri possit, cõmẽti autem talia sunt poetæ, quo uulgus hæc audiens, deos magis uereretur. Verum quidem id est. Actæon uir arcadius uenationi deditus magnã uim canum nutriebat, agebatq; plerũq; in mon/tibus, seria negotia susq; deq; faciens (ea enim tempestate homines per se nõ seruorum opera suas res tractabant.) Erant aliquot negociatores actæoni, sed hi proprios a/gros colentes, & opum & operum suorum abundantia cõmissa negotia uix curabant, dum ita res domestica ne/gligitur, & uenatio sola ei curæ est, breui actæonis opes cõminutæ sunt, ut omnium rerum indigentia laboraret. Illud proinde homines ei obiiciebant. Miser Arctæon, te tui canes deuorarunt, quemadmodũ & de scortatoribus dici solet eos a Scortis deglutitos esse, idem & Actæoni contigit.

De equis Diomedis.

RIdiculum certe, quod aiunt ab equis Diomedis homines edi solitos, cum animal huiusmodi ordeo & feno, nõ autem humana carne uesci ex animo soleat. Verũ quippe est, uetusto illo tẽpore, homines suis manibus & opes & uitæ necessaria solitos parare, præcipue agrorũ cultu, Diomedes uero soli equorum curæ intentus, ut eos aleret non sua tantum, sed & multorum hominũ rem absumpsit. Amici itaq; eos equos hominiuoras nuncupabant, qua ex re conficta est fabula.

De Orione.

EX Ioue Neptuno & Mercurio ita natus est Orion. Mirifica excipiendi hospites liberalitate cõmendatus est in Tanagra Boeotiæ Hyrieus Neptuni & Alciones filius (ea autẽ erat una ex Athlantis filiabus) adeo ut nõnunquam & deos inuitauerit. Iupiter certe Neptunus & Mercurius laute & magnifice apud eum accepti, laudata illius liberalitate hortati sunt, ut aliquid ab se optaret. nulli huic erant liberi, idcirco filium a diis petiit. Dei, bouis qui in sacrificio sibi facto mactatus fuerat, corio apprehẽso, effuderunt in illud semen, admonuerũtq; uti terra operiretur exactisq; decem mensibus tunc demum extrahi. eo tempore genitus est Vrion, sic primo uocatus, quod dei genitalem urinam effudissent, deinceps honestiori nomine Orion. Hic olim cum in uenatione Dianæ uim afferre conatus esset, indignata dea Scorpium e terra emisit, qui uulnere secundum talum eum extinxit, Iupiter tunc miseratione motus, eum in syderum ordinem retulit.

De hominibus ex satione editis.

FAma est cadmum necata apud Lernam serpente, illius

dentes in regione sua conseuisse, unde armati prodierint homines, quod si uerum fuerit, quis nõ huiusmodi semẽtem ommissis aliis libẽter fecerit: ueritas autem hæc est. Cadmus e Phœnicia, postq̃ de regno cum Phœnice fratre decertauit, thebas se contulit, preciosa multa, ut regẽ decuit, & præcipue Elephantorũ dentes secum afferens, erat eo tempore Thebanorum rex draco e Marte genitus, quo obtrũcato regnum cadmus inuasit nec id æquo animo & filii & amici draconis passi sunt, sed cum in cõtentione inferiores fuissent, ablatis cadmi thesauris cum Elephantinis dentibus in ea loca se receperũt, quæ inferrẽdo in cadmũ bello opportuna existimarẽt, diuersa aũt ea fuerũt, quidã in atticam, nõnulli in Peloponesum, aliqui in Phocida, cæteri ad locrenses appulerũt. e quibus oĩbus locis facto impetu infestissime cum Thebanis depugnabant. Quoniã uero raptis eboreis dẽtibus, qui penes cadmum erãt, illi aufugerãt, frequẽs hic erat Thebanorum sermo. Cadmũ confecto dracone tot calamitates ciuibus suis inuexisse, cũ ex eius dẽtibus producti multi & strenui uiri secum depugnarẽt, cui rei fabula adficta est.

De Sphinge.

VVLgatũ est Cadmeiam Sphigem mõstruosam belluã corpus caninũ, adulescẽtulæ faciem & caput, alas autẽ instar auium habuisse, humana etiã uoce, degentẽ in monte Sphicio, ænigma aliquod prætereũtibus ciuibus proposuisse, q̃bus illud aperire nescientibus ab ea mors parata esset, oedipo aũt datum ænigma soluẽte, eam sese torquẽtem cõfecisse. primũ nõ digna fide & præter naturã talis est forma, ut nullo pacto fieri possit, demum solutionem ænigmatis ignorantes ab ea interfici, nonne puerile est:

Ineptum etiam eſt dicere Thebanos hãc feram toleraſse, quod ciuibus minine ĩſenſa, hoſtes in uniuerſum arreptos deuoraret. Sed quid uerum ſit uideamus. Cadmus cum ei eſset uxor Amazonia Sphinx nomine Thebas uenit, interfectoq; dracone rege, eius inuaſit regnum, defunctiq; regis ſororem Harmoniã in ſecundã duxit uxorem, qua de re ĩdignata Sphinx ſolicitatis quãplurimis ciuibus, uti ſecum ſecederent, ablatis mariti theſauris, abducto etiam cane quem ſummæ uelocitatis ex Phœnicia ſecum Cadmus duxerat Sphicium montem, quẽ diximus occupauit, indeq; marito bellum inferrebat, & continuis inſidiis late omnia populabat᷑. appellant᷑ aũt inſidiæ ænigmata a Thebanis, qui uulgo tũc illud dictitabãt. Sphinx ſumma uigilãtia facto ænigmate nos diſcerpit, nec quiſpiam ænigma illud poteſt detegere. Cadmus igitur propoſito ingẽti premio inuitauit eos qui Sphĩga cõficere auderẽt, uenitq; e Corintho Oedipus bellicæ rei peritus, ſecũ habens equum magnæ celeritatis, ſumptiſq; cõmilitonibus aliquot Thebanis, noctu in montem inuaſit, Sphingaq; interfecit, ab hac re, artificioſe elaborata eſt fabula.

De Vulpe.

TELmeſia Vulpes Cadmeios homines rapuiſse, eoſq; demũ comediſse dicitur, quod abſurdũ eſt, cum terreſtre nullum animal hominẽ rapere & aufferre poſsit, ne dum Vulpes puſilla & ĩbecillis belua, huiuſmodi aũt res fuit. Erat Thebis formæ & ꝓbitatis egregiæ uir quidã uulpes noĩe, calliditate etiã cũctos ciues ſuos ſupabat. proĩde rex ueritꝰ ne ſibi ĩſidiæ tẽderent᷑, eũ urbe pellit, q ꝓtinus coacta militũ manu, cæterorũq; quos mũeribus ad ſe pellexerat, montẽ noĩe Telmeſiũ occupauit, unde facto impetu

Thebanorum bona diripiebat, passim tunc dicebatur uulpes nos depredata sese aufert. Venit tandem Thebanis auxilio Atheniensis cephalus, qui uulpem interfecit eiusq; exercitum e loco illo deturbauit.

De Niobe.

AIunt Niobem uiuentem, lapideã ad sepulchrũ filiorum factam fuisse. Leuitatis certe summæ erit, qui crediderit e lapide hominem, ex hominibus lapides fieri posse. Illud quidem non negandũ, Nioben mortuis filiis sibi exculpi curasse imaginem lapideam, quæ in illorum sepulchrum erecta sit, nosq; eam sic positam uidimus.

De Lingeo.

FALsum omnino est Lingea obtutu suo subterranea penetrasse. hinc autẽ hoc fictum est, quod Lingeus primus in terræ latebris æs argentũ & huiusmodi alia perscrutari cœpit, Idq; dum facit lucernas in caua terræ apportãs, eis ibi relictis in lucem æs & ferrum reportabat. Iccirco illud iactatum est. Lingeum quæ sub terra sunt inspicere, illucq; se immergentem, argentum colligere.

De Cæneo.

CAEneũ nullo uulnere ledi potuisse, nullus sanæ mentis crediderit, cum humana corpora ferro neutiq̃ possint resistere, Verum quidem est Cæneum Thessalum rei bellicæ gnarissimũ fuisse, & in depugnando magnæ fuisse calliditatis, & sæpius consertis manibus semper inuiolatum discessisse. In pugna etiam lapitharum contra centauros, ab his cõfossus non est, sed facto impetu cum agminatim eum inuasissent, oppressus est. sicq; diem obiit. Reportantes autem eius cadauer lapithæ, cum uiderent corpus integrum, dictitabant. Cæneus donec uixit uulnerari haud

potuit, & ſine uulnere mortuus eſt.

De Cygno.

In Colonis de Cygno itidem dicitur: quod nullo uulnere offendi potuerit, fuit enimuero bellicæ rei ſciētiſsimus, in Troiano autē bello Achillis lapide nō telo oppreſsus eſt, unde qui cadauer ſine uulnere uiderāt, Cygnum uulneri nō fuiſse obnoxium dixerunt. Itaq; fama in uulgus abiit. Accedit ueluti in teſtimoniū noſtrum, quod pariter Aiax Telamonius uulnera non paſsus fuiſse dicit̄, cum nō ali/ena ui, ſed ſuo ſibi gladio mors inflicta ſit.

De Dædalo & Icaro.

TRAdditum eſt Dædalū & eius filium Icarum ob faci/nus quoddā a Minoe carceri incluſos, amboſq; adglutina tis ſibi alis cuſtodiam euaſiſse. Hebetis certe ſenſus erit, qui facticiis pennis homines uolucres fieri crediderit, hic quidē fabula orta eſt. Dædalus & Icarus e carcere per fe/neſtrā ſe demittētes, cymbā ingreſsi in mare enauigarūt, minos, naues quæ eos pſequerentur, miſit. Id illi pſentien tes uehemētioribus adiuti uentis, euolātes, id eſt citiſsimo prouecti curſu, hoſtium naues euitarūt. ipſeq; Dædalus incolumis littus appulit, Icarus uero merſus eſt, a quo Icario mari factum eſt nomen, eiectum demum a flucti/bus pater ſepulchro condidit.

De Atalanta & Melanione.

IN Leonem & Leænam mutatos eſse Atalantā & Me/lanionem traddūt, uerum quippe eſt. Cum ii uenatū iuiſ/ſent, Melanionem precibus exoraſse, uti Atalanta in re uenerea ſibi aſsentiret̄, ob idq; proximā ſpeluncam adi/uiſse, ubi forte erat Leonis & Leænæ cubile, qui humana uoce excitati exeunt, Atalantāq; & Melanionem appre/

hensos deuorant, progressiq; ulterius, cum a uenationis sociis uiderent, ut sunt faciles in timore ad credendũ homines, existimarunt ii Melanionem & Atalantam in huiusmodi feras mutatos esse. redeuntesq; in urbem, famam hanc passim uulgarunt.

De Callistone.

SIMilis propemodũ est de Callistone fabula eam scilicet interuenandũ in ursam commutatã fuisse. id certe non negandum, eam uenationis gratia montẽ inscẽdisse, ubi immanis ursa ei se obtulit, & mortem consciuit, socios autẽ diligenter eam perquisiuisse, donec ad ursæ cauum peruenerint, unde puella non inuenta, cum hac opinione recesserunt, ut ursam factam dixerint.

De Europa.

EVropa Phœnicis filia tauro per mare uecta (ut aiũt) ex tyro in cretã deuenit. Mihi id certũ est neq; tauri nec equi esse tantũ pelagus pertransire, nõ etiam credi par est, puellam ausam atrocem taurũ inscendere. Si uero Iouis uoluntate transferẽda erat Europa, nonne cõmodiori uectione id fieri potuit? Ita certe res contigit, uir Gnosius taurus nomine cum tyriis bellum gerebat, raptisq; puellis cõ pluribus, inter quas regis filia erat Europa, tãdem discessit. Vulgo proinde dicebatur, Europam regis habẽs taurus abiit, unde conficta est fabula.

De Ligneo equo & Troia.

CANtatissimũ est Ligneo equo inclusos achiuos urbem Ilion diruisse, nec hoc cæteris minus fabulosum est. ita enim est factũ. Construxerãt Græci molem Ligneã instar equi, quæ magnitudine, portarũ Iliensium fastigia superaret, ne intra urbem ob altitudinẽ trahi posset. Cõsederãt

Græcorum duces in loco insidiis opportuno secus urbē, nec longe reliquus exercitus aberat, cū transsfugæ in morem a Troianis receptus Sinon eis ꝑsuadet, uti machinā illam in urbē susciperēt, anteq̄ superuenirēt Græci. huius consilio portas demoliunt̃, equumq; ligneum admittūt, demum cum ociosi conuiuiis indulgerent, ecce tibi facto impetu Græci nobilissimā urbē & inuadūt & populant̃

De Aeolo.

VENtoꝝ regē Aeolū Vlyssi dedisse utribus inclusos uētos, unicuiq; impossibile uideri arbitror. Illud aūt uero similius est, syderalis sciētiæ peritū Aeolum, certa tēpora Vlyssi indicasse, q̄bus uehemētiores uēti insurgerēt. Fama etiā est eius urbem aheneo muro munitā fuisse, quod armatos hoīes (ut reor) ad eam custodiendā disposuerit.

De Hesperidibus.

HESperidū poma aurea, quorū arbor a dracone custodiretur, eo deuicto rapuisse Hercules, ideo dicitur. Erat Hesperus uir Milesius, habitās in Caria, cuius filiæ duæ, Hesꝑides uocabant̃, habebat is Hesperus uenustissimas & plurimi fructus oues, quales & nūc sūt Milesiæ, aureæ uero dicebant̃, quod īter mortales auro nil pulchrius habeatur, ee autē pulcherrimæ fuerint, mala aūt apud græcos & poma & oues pariter dicunt̃. Hūc gregē secundū mare pascentē auertit Hercules, & nauibus suis imposuit pastorē etiā draconē noīe, itidē abduxit, mortuus tūc erat Hesperus, supstitesq; erāt filiæ. Igitur illud passim dictū. Vidimus aurea mala, quæ Hercules ab Hesperidibus custode dracone interfecto, auertit, & hinc orta est fabula.

De Cotto & Briareo.

DE his uulgatū est, quod centū manus habuerint, quod

certe uanum est. Veritas autem est huiusmodi. Ciuitati quam inhabitabant erat nomen Centimania, in ea, quæ nunc Orestias dicitur, dicebant idcirco homines Cottus Briareus & Gyges Centimani in deorum gratiā Titanas ex Olympo deturbarunt.

De Scylla.

SCYllam apud Tyrenos dicunt fuisse feram quandam fœminæ forma usq; ad umbilicū, indeq; deorsum uersus agnata ei fuisse canina capita, reliquo corpore serpentem fuisse. Demētiæ oino summæ erit, qui similē speciē tanq̄ ueram animo pceperit. hinc autē figmentū sequutū est. Tyrenorū iusulæ erant, ex quibus prædones loca oĩa Siciliæ finitima, Sinū etiam Ioniū diripiebant, Erat eorū triremis quædam nomine scylla, quæ summæ uelocitatis discurrēs ptereuntes naues depredabat̄, sibiq; inde parabat cōmeatus, ideoq; multis notissia erat, hāc nauē Vlysses uehemēti & cōtinuo uento adiutus euasit, narrauitq; postea inter alia Alcinoo Corcyræo, qua arte, & quo adiumento Scyllam effugisset, eiusq; formā regi descripsit, unde fabulam confixerūt.

De Dædalo.

IMAGInes a Dædalo exculptas per se iuisse, ego utpote impossibilē rem nunq̄ crediderī. Compertū aūt est, statuarios eo tpe & illos qui uarias imagines effingebāt, iūctis pedibus opera sua consistere fecisse. Dædalus aūt uno pede progressas formabat, hinc plurimi dicebāt, Dædali simulacra pgrediētia facta sunt, nō ut alioꝝ stātia, quin & nunc frequēter dicimus, pictos esse homines pugnantes, currētes equos, & naues in mari periclitantes

De Phineo.

PHIneo Harpyias maxime infeſtas fuiſse fama eſt, quæ
feræ uolucres ex eius menſa epulas ſolitæ ſint diripere,
res autem hæc contigit. Phineus Pœoniæ rex ob ſenectu
tem oculorum uſum amiſit, mares huic liberi perierant,
Fœminæ autem duæ Pyria & Eraſia domeſticā penum,
quæ patris erat, identidē cōminuebant, ut paſsim homi/
nes dicerēt infœlicem Phineum cui Harpyiæ res, ad eius
uictũ paratas, deperderēt. E uicina autem urbe uenerunt
Zethus & Calais filii Boreæ hominis in urbe ſua haud
ignobilis, miſeratiq; Phinei calamitatē filias urbe eiece/
runt, coactiſq; rebus, quæ diſperſæ fuerant, earum curā
deſtinauerũt procuratori, qui erat ex terra Thracia.

De metra.

ERIſichthonis filiā Metram ex genitoris uolũtate in ua/
rias formas ſe mutaſse aiunt, rem utiq; ridiculam, adule/
ſcentulam enim nunc bouem, nunc canem uel auem fieri
poſse, quis credat? ita certe ſe habet res. Eriſichthon erat
uir Theſsalus, qui dilapidatis bonis, ad ſummā uenerat
indigētiam, huius filiā formoſam & elegantē, qſquis uel
ſemel uiderat, deperibat, argento ea tēpeſtate fœminæ ui/
ris nō cōciliabantur, proinde aliquis equos, boues alius,
uel oues, uel quod aliud magis Metram oblectaſset, do/
nabat. Theſsalorũ inde hic erat ſermo, cum Eriſichtho/
nis opes auctas uiderent, ex Metra patri equi, boues &
alia fiunt, ſicq; fabula facta eſt.

De Geryone.

CVM nulli corpori natura dederit tria capita, Geryonē
tricipitem fuiſse, non poſsumus credere, tale autē eſt hoc.
Ciuitas eſt in Euxino Ponto tricipitia nũcupata, ubi Ge/
ryon inter ſuos ciues & diuitiis & aliis artibus egregium

ſibi nomen parauerat. habebat inter alias opes, boum armenta non parua digna admiratione, quæ ut inuaderet Hercules Geryonem interfecit. dum igitur abducerētur boues omnibus admirationē iniiciebant. Erant mediocri magnitudine, a capite etiam uſq; ad lumbos nō multum ſpacii protēdebatur, ſimæ & ſine cornibus, oſsibus uero prægrandibus & latis erant, has curioſe inſpicientibus hominibus nonnulli dicebāt. præda hæc ab Hercule arrepta eſt tricipiti Geryoni. Hinc multi crediderunt illum habuiſse tria capita.

De Glauco Siſyphi.

HVNC fama eſt ab equis deuoratum fuiſse, ideo quod equeſtris rei ſtudioſiſsimus, dum negligit adminiſtrationem domeſticam, indieſq; ſumptus ſumptibus addit, ad extremū uſq; eius opes attritæ ſunt.

De Glauco minois.

NON ſine riſu referri poteſt, Glaucum ex melle mortuum Polyidi medici ingenio reuixiſse, qui Argiuus cum olim draconem draconi mortuo appoſita herba ad uitā eum reuocaſse uidiſset, eadem a minoe in filii ſepulchrū demiſsus, Glaucū uitæ reſtituerit. hæc autem res nunq̄ a natura fit, quod uero dicit̃ huiuſmodi eſt. Glauco ex potu mellis uexato plurimū bilis commotū eſt, adeo ut animi defectum incurrerit, accerſiti idcirco multi medici, nec ſine mercede, tūc Polyidus recordatus herbæ, cuius uſum didicerat a medico, cui erat draconis nomen, ea Glaucum ad priſtinam ualetudinē recuperauit. Vulgo inde dictū, Glaucum ex melle mortuum a Polyido uitæ reſtitutum fuiſse.

De Glauco marino.

CELEbratus eſt et Glaucus, qui eſu cuiuſdam herbæ im/
mortalis factus, nũc etiam in mari uiuat: mirum certe eſt
hanc herbam nulli alii, præter Glaucum adinuentã eſse,
hominẽq; aut terreſtre aliud animal in aquis uitam poſse
traducere, illinc quidem hoc fictũ eſt. Erat piſcator Glau
cus ex urbe Anthedone, maxime peritus natationis, ut
omnes ſecum contendentes facile ſuperaret. Hic olim in
ciuium ſuorum cõſpectu, cum in portu ſe natando exer/
ceret, clanculum in locum non bene notum longe enata/
uit, multoſq; dies ignoratus eſt, poſtea natando reuerſus
amicis percũctantibus, ubi interea uerſatus fuiſset, emen/
titus eſt totum illud tempus ſe in mari ægiſse, ad hoc pi/
ſces continuo captos ſeruabat, ut impedita tẽpeſtatibus
piſcatione, cum cæteri piſcatores inopia piſcium labora/
rent, ſibi nunq̃ deeſsent. Proponebat tunc ciuibus, uti qui
ſibi placerent, optarent piſces, ſe enim eos aprehẽſurum,
quos autẽ petiuerãt, apportabat, Glaucum ideo marinũ
uocitabãt, hic demum cum tẽpeſtuoſo mari natans op/
preſsus fuiſset, non redeuntẽ eum fabulati ſunt homines
in mari degere, illicq; adhuc uiuere.

De Bellerophonte.

BELlerophontem Pegaſo, qui equus pẽnatus fuiſse tra/
ditur, uectum fuiſse mihi perſuaderi non poteſt, neq; ſi
uolucrum omnium alas ſibi equus ſummeret, iis tamen a
terra leuari poſset, & ſi a natura tale olim animal editum
fuiſset, nunc etiam eius ſpecies duraret. Equitem etiam il/
lum aiunt amiſodari chimæram confeciſse, erat uero fera
hæc, ut fama eſt,

Prima leo, poſtrema draco, media ipſa chimæra.

Nec deſunt qui aſserant huiuſmodi belluam tricipitem

fuisse, certe con conuenit leonem pari cum cæteris nutrimento ali posse, mortalis uero naturæ animantia ignem spirare summæ leuitatis est credere. cui etiam trium capitum ius potius esset in ipsum corpus, libenter sciuerim. Sed reiectis mendaciis hoc euenit. Bellerophontes erat Phrygius oriundus Corynto elegans & honestus uir. Is longa naui parata, maritima omnia loca uastabat, nomen autem naui indiderat, pegasus, ueluti etiam nūc singulis nauibus sua sunt nomina, uerisimilius autem est sic nauem appellatam esse, q̄ equum. erat eodem tempore Amisodarus rex ad Xanthum fluuiū, cui adiacebat præaltus mons Telmissus, qui duabus semitis ab urbe, tertia autem a Caria adiri poterat, cæterum præceps & iaccessibilis, in earum medio hiatus quidam terræ flammas exhalabat, iuxta hūc erat mons alter chymæra nomine, tūc autem (ut incolæ referunt) habitantiū accessum turbabat primori parte leo, post tergum autē draco, qui maxime pastoribus & iis qui lignatum ibant, erant molesti, huc tandem appellens Bellerophontes montē facto igne purgauit, Telmisso etiam conflagrante, itaq; feræ extinctæ sunt. Idcirco ea loca habitantes iactitabāt Bellerophontē illuc pegaso uectum Amisodari chimærā confecisse. Sicq; res in fabulam transiit.

De Pelope.

AEque fabulosum est, & quod simili ratiōe refutari possit, equis alatis Pelopem Pisam uenisse, Oenomai filiam Hippodamiam sibi in matrimoniū asserētem, non enim pater huiusmodi uolucres equos intuitus Hippodamiā Pelopis currum inscendere permisisset, potius dicendum Pelopē naui uectum fuisse, in qua alati equi depicti essēt,

raptaq; puella enauigasse, unde fabulæ datus est locus.

De Phryxo & Helle.

INdicauit aries (ut aiunt) Phrixo patrem Athamantem decreuisse, eum in sacrificio mactare, qui sorore Helle accita ambo arietem insederũt, ab eoq; per mare in Euxinũ Pontum deportati sunt. Res omnino ultra fidem hominum, arietem hominibus duobus onustum instar nauis magnũ mare tranatasse, ieiunosq; omnes totum illud iter confecisse, cum nullibi eis cibaria uel potus preberi possent. Addunt Phrixum arietis seruatoris sui ab se mactati pellem æetæ dono dedisse in hoc scilicet, ut illius filia sibi desponsaret, Colchorũ autem regem fuisse Aeetam apud quos rarissimæ uidebantur pelles, qui eo munere delenitus, filiam qua multos dignatus nõ fuerat, Phrixo despõsauerit. Ne uero rei uilitas risum posit excitare sub iungunt nõnulli, pellem eam auream fuisse, qualem procuIdubio regem ab homine peregrino capere haud decebat, ob hanc pellem demum (ut multi sentiunt) Iason & Græciæ q̃plures heroes in Colchos uecti sunt, ea naui q̃ Argo dicebat. At ingratissimus iudicari posset Phrixus, qui eum arietem, cuius consilio & opera seruatus sit, interfecerit, cuius pellis etiam si pulcherrima fuerit, uix credi potest eius gratia robur & florem Græciæ tempestuosum iter suscepisse. Sed figmẽta hæc illinc orta sunt. Præerat Athamas copiis Græcorum in Phrygia, cuius erat quæstor multarum opum & magnæ apud se authoritatis nomine aries. Is cum ab Athamante mortem Phrixo imminere persensisset, periculum Phrixo indicat, qui protinus opes q̃plures paratæ naui imponit, uocatq; sociam Pelopis matrem Eonem nomine, ea ex thesauris suis sta-

tuam conflauerat. Simul igitur aries, Phrixus, Helle & eo facta uelificatione abierũt. Inter nauigandum cõtracta ualetudine Helle periit, a qua Hellesponto nomẽ factum est. Illi ad Pharon peruenerunt, illicq; parauerũt sibi domicilia. Phrixus Aetæ Colchorum regis filiam in uxorem duxit, in quo matrimonio (ut mos est,) socero dedit munera, non arietinam pellem: sed Eonis auream statuã, idq; certissimũ est.

De filiabus Phorcynis.

NON sine multo risu inueteratã huiusmodi fabulã possumus referre, quẽadmodum scilicet Phorcynis tres erãt filiæ, quæ omnes unico oculo per uices utebantur, cui uero eius usus contigerat, ea illum capiti suo affigebat, & sic eo usa per manus deinceps sororibus tradebat, quæ pariter eo fruebantur, clanculũ autem eas adortus Perseus cum passu suspensu eam a tergo occupasset, penes quam oculus erat, stricto gladio omnibus mortem minatus est, ni gorgonis sedem sibi indicassent, qua cognita & ei capite adempto in aera euolauit, & illo obiecto Polydectã in lapidem conuertit. Id omnino puerile est mortui capitis aspectu uiuentem hominem lapidescere, quam enim uim mortui æstimare possumus? quod uero factum est dicemus. Erat Phorcyn uir Cyrenæus, Cyrenæi aũt e genere sunt Aethiopum, & incolũt Cyrenen insulam disiunctã ab Herculeis columnis, occupantq; Libyæ partem ad flumen Aunonis non longe a Carthagine, nec eorum opes tenues sunt. Is Phorcyn cum Herculeis columnis, quæ tres sunt imperitaret, auream statuam mineruæ conflari fecit, magnitudinis quattuor cubitorum, uocant autem Cyrenæi mineruam gorgonen, sicuti dianã Thraces ben-

dian, Cretenses Dictynā, Lacedemonii Vpin, anteq̄ uero
ea in templo erigeretur statua, moritur Phorcyn, relin/
quitq; filias tres Eurialen, Sthenonem & Medusam, quæ
in cœlibatu uiuētes diuisis paternis bonis, unaquæq; uni
insulæ dominabatur, Gorgonen autem neq; consecrare,
non etiam distrahere placuit. Sed per certas uices ab illis
ueluti thesaurus deposita seruabatur. Earum patri ualde
carus uir quidam & honestus & probus, fuerat · quo in
plurimis negociis ueluti oculo puellæ utebantur. Perseus
interea ex Argo ꝓfugus, potēs & strenuus in re nautica,
maritima loca deprædabat᷑. is persentiens de aurea Gor/
gone, quæ magni precii non uirorum sed fœminarū ope/
ra seruaretur, factis insidiis ex portu cœpit demum om/
nia ea loca, quæ inter Cyrenen & Sardiniam posita sunt,
discurrere, donec oculum apprehendit, certior autem in
illis locis factus erat, nihil esse quod puellis posset arripe/
re, præter Gorgonen, quæ multo auro constructa esset.
Adulescētulæ igitur cum amplius oculo suo per uices (ut
diximus) non uterentur, in unum cōuenerunt, & mutuo
se insimulabāt, oculum supprimi. Interconsultandū ma/
gno clamore eas attonitas inuadit Perseus, aitq; se habe/
re oculum quem quærerent, neq; illis redditū iri, nisi in/
dicent ubi sit Gorgo, addit insuper mortis minas non id
faciētibus. Euriale & Stheno indicant, Medusam, quæ id
facere noluerat interficit, & sororibus oculum reddit. Ac/
ceptam autem Gorgonen cum disiecisset, caput integrū
seruauit, illudq; reponens in sua trireni, Gorgonis nomen
naui indidit, hac loca q̄plurima circūuectus ingentem pe
cuniam undiq; extorquebat, si qui autem sibi nō paruis/
sent, confestim interficiebātur, appulit tandē & ad Seri/

phios, qui ad resistendum cum se cogerent, supuenit statim Perseus, unde illi facta fuga Seriphon deserebant. cũ uero iterum uenisset Perseus ad exactionẽ, in forum accedens homines rarissimos, lapides autem prægrandes ad hominis magnitudinẽ multos offendit. cæteris proinde insulanis, cum tardiores essent in exoluenda pecunia Perseus dicebat, cauete ne sicut Seriphii, uisa Gorgone lapides facti sunt, idem uobis eueniat.

De Amazonibus.

AMAZOnum fama inde orta est. Erant non feminæ sed uiri barbari, qui tunicis talaribus incedebant thressarum more, comam autẽ mitris colligebant, nec barbam crescere patiebant͛, idcirco cæteri milites, eos feminas nũcupabant, ingenitã uero erat eis egregia fortitudo, sicuti igitur ætate nostra muliebrem militiam nullibi uidemus, ita nec olim fuisse credi par est.

De Orpheo.

NVGAE omnino sunt, Orpheum fidibus canentẽ feras, uolucres, & siluas sequutas fuisse, quod inde arbitror uulgatum, Furentes Bacchæ in pieria pecorũ pascua turbabant, aliaq; multa temere cõmittebant, demum amœnitate montis allectæ plurimũ temporis ibi agebant, qua mora ciues uereri cœperũt, ne aliquid perperam feminæ illæ molirentur, exoraruntq; Orpheum uti aliqua arte e monte illas deduceret, Is cum Bacchi sacrificia instituisset suauitate cantus Bacchas secũ duxit, quæ cum prius ferulas gestarent, e monte uenientes prægrandes arborum ramos arripuerunt, ut e longinquo uidentibus preberent speciem descẽdentium arborũ, idcirco passim dicebatur, Orpheus citharæ sono e monte syluam deducit. itaq; fabula

bula facta est.

De Pandora.

VIX aures patiuntur, quod tradditum est, e luto additis certis rebus confictam fuisse Pandoram, mihi pro certo est eam fuisse Græcam prædiuitem fœminã, quæ si quãdo uenustiorem se uolebat ostendere, ornãdi causa ad cæteros fucos adhibebat liniméta quædã ex terra. Hæc autem res uera in uanum uersa est sermonem.

De gente Melia.

PRImæuam quandam gentem e Fraxino fuisse penitus reiiciendum est, sed melii uiri & Meliæ nuncupabantur fœminæ, quemadmodum nunc Græci Hellenes & Iones ab Helleno & Iono scilicet authore, ferreas etiã & Aeneas gentes nunq̃ fuisse, credi debet.

De Hercule.

HVNC aiunt folia quædam olim gestasse, quæ siquis male prudens homo inspexerit, afflata fuisse uideantur. quod inde dictum est.

De Ceto.

DE Ceto illud tradditũ est, quod e mari ad Troianã urbem enatabat, acceptisq; illinc puellis reuertebatur, si uero hæ denegarentur, late eam regionem uastabat. Sed qs ĩficiat̃ uanissimũ esse filias a parẽtib9 suis exponi solitas? Erat autẽ potentissimus rex & plurimũ ualens in re nautica, qui euersa maritima quadã palude in Asia, quæ Troianorum erat, eos compulit ad tributi solutionem, id aũt eo tẽpore nõ pendebat̃ argento, cum argenti usus solum in uasibus esset. Decreuit ꝓinde rex ille, cui erat Cetonis nomẽ, quasdã urbes sibi annuos equos dare, quasdã uero uirgines puellas. eius autẽ nomẽ a barbaris inuersum est,

ut pro Cetone Cetũ nũcupauerint. Aduenie͂te tributorũ te͂pore præſens aderat: & qui promiſſa denegaſſet, eorũ agros populabatur. appulit etiam Troiam, ubi forte for/tuna erat Hercules cũ Græco exercitu, hũc ſubito in Tro ianoꝝ auxiliũ cõducit rex Laomedon, nec mora facta eſt, quin Ceton ductis copiis eos aggrederet̃, ſed a Laome/donte & Hercule oppreſſus eſt. quo ex facto cõfinxerũt fabulã.

De Hydra.

HYdram Lernæum anguem quinquaginta capitũ fuiſſe, fama eſt, unius tame͂ corporis, cui capite uno ablato duo protinus ibide͂ ſubnaſcerent̃, cancrũ aute͂ ei laborãti auxi liari ſolitum, quæ ſiquis crederet, magna proculdubio le/uitate ſe implicaret, cum res ita, ut referã, ſe habuerit, ha/bitabant olim cũcti homines in pagis, quibus ſingulis ſui erant reges, cuiuſmodi erat Lernus rex. Erat aute͂ magni/ficum & hominũ freque͂tia honeſtũ oppidũ Mycenæ cui Stenelus Perſei filius imperabat. huic ut ſuperiori cũ Ler nus nollet parere, inter eos acre bellũ incœptũ eſt. habe/bat Lernus in ditionis ſuæ finibus caſtellũ, cui erat hydræ nome͂, huius præſidiũ quinquaginta uiri obſidione dies & noctes continuo premebant̃. aduenit & ad hãc expu/gnatione͂ Hercules ab Euriſtheo miſſus, Interim obſeſſi in oppugnãtes hoſtes ince͂dia, ſagittas ex turri iaculabã/tur. Si uero eoꝝ quiſpiã ex uulnere cedebat a propugna/tione, in eius, utpote ſtrenuiſſimi, uicem duo ſuccedebant. Sed cũ tantis hoſtiũ uiribus Lernus nõ ſufficeret, conuer/ſus ad externa auxilia, aduocat Cancrũ, id nome͂ fortis & belloꝝ ſcie͂tiſſimi ducis, qui exercitu paratiſſimo ſimul cũ Lerno uirtute͂ Herculis facile ſuſtinebat. Alteris aũt auxi/lio uenit Iolaus Iphicli filius nepos Herculis cũ Theba/

norum copiis, is iniecto incendio turrim Hydræ deiecit, Posteaq; Hydra oppidũ dirutũ & hostes ab Hercule sũt cæsi, quo ex opere cõflata est fabula de Hydra serpente.

De Cerbero.

VELuti Geryones, ita & Cerberus quod ex urbe tricipitia esset, trium capitum fuisse dictus est, cum quidam ita eum nonnunq̃ laudarent. Canis hic triceps & pulchritudine & proceritate cõspicuus est. Additum etiam fabulæ Herculem ab inferis eum traxisse, ob hãc causam. Habebat Geryones in custodiã suarũ boum canes duos prægrandes & feroces, quorũ uni Cerberus, alteri Orus erat nomẽ, hũc Hercules ad urbẽ tricipitiã, dum armentũ inuadit obtrũcat, Cerberũ cum bobus secũ ducit. Eius pulchritudine affectus Mycenæus uir Molottus, cũ ab Euristheo, quẽ petebat, canẽ impetrare nõ posset, agit cum boum pastoribus, uti canis in Laconico cauo iuxta tænarũm occludat', admittitq; ad eius coitum fœminas canes. Interim Euristhei iussu, ut canẽ reperiret, cum Hercules totã pagrasset Peloponesum, appulit tandẽ ad locũ sibi indicatũ, & introgressus canem ex antro deduxit. ignari autẽ homines dicebãt. Hercules per cauum illud ad orcũ descendẽs, inde Cerberum ad superos duxit.

De Alcesti.

TRAgicum certe est argumentũ, admeto imminentem mortem Alcestin pro eo subiuisse. Herculẽ demum ab inferis eam ad suũ admetũ reduxisse, meus omnino sensus est, eũ q semel mortuus sit, haud quaq̃ posse reuiuiscere. sed omnis hic error illinc ortus est. Persequatur Acastus Peliæ filius sorores quod patrẽ interfecissent, nec eas potuit assequi. Alcestis quidẽ apud Admetũ qui ei sanguine

erat iunctus Pheras se cōtulit, cū & huc Acastus uenisset Admetus ociose domi agēs, ei petēti Alcestin denegauit, Ille ducto exercitu, quod precario impetrare nō potuerat uiribus extorquere, simulq; iniuriā receptæ sororis ulcisci conabat᷑. Admetus interea cū urbe sociis primoribus uiris sui exercitus, exisset, uiuens in manus hostiū deuenit, & iam Acastus ei mortē parabat, cum Alcestis calamitatē hanc Admeto opera sua auerti posse rata, sese acasto dedit, itaq; Admetus liberatur, id facinus tunc ita homines commendabant, generosa Alcestis sponte pro Admeto mortem subiuit, nec id contigit sicuti fabulatores cōmenti sunt. Iisdem tēporibus forte Hercules secū ducens Diomedis equas per Thessaliam iter faciebat, & Admeti hospicio usus est. Ex cuius luctu percipiens Alcestis infortunium, eius recuperandæ causa Acastum inuadit, eius exercitum profligat, hostiū spolia militibus suis partitur, & Alcestin restituit Admeto. Aiebāt proinde multi, fortuito oblatus Hercules Alcestin a morte recuperauit.

De Zetho & Amphione.

ET ab aliis & ab Hesiodo tradditū est, cytharæ cātu hos Thebarū mœnia cōstruxisse, nec desunt qui musices tantam uim credāt, ut lapides ea demulcti in mœnibus se cōposuerint, ammoto mēdacio ita cōtigit. Profecerāt multum hi duo citharœdi & premiis ad ostentandā artem suam inuitabant᷑, argenti ea tempestate nō erat usus, admoniti autē sunt Amphionis iussu auditores, ut quisquis sese uellet audire, is præberet operas in mœniū cōstructione, non itaq; lapides allecti sono cōponebant᷑, frequēs idcirco is erat sermo, lyræ beneficio murus extructus est.

De Ione.

IOnem e femina in bouem mutatam, furiis agitantibus ex argo mare in Aegyptum traiecisse, idcirco dicunt, q̄d Io argiuorum regis filia, cū a suis ciuibus Iunonis argiuæ sacerdotiū impetrasset, prægnans facta, ciuium & parentis iram timens urbe cessit, eam demum insequuti ciues, eo in loco ubi eam occupauerāt uinciendam & custodiendā curauerūt, illud aūt uulgarunt furiatā uaccā in Aegyptū ut ibi pareret, profugisse. sicq; res in fabulam uersa est.

De Medea.

EX senioribus ecoctis adulescentes a Medea fieri solitos tradditum est ex illo, Inuenit ea prima flores quibus & candens & nigrum capillitium fieri posset, petentibusq; in nigrum capillum canos identidem commutabat. Excogitauit & prima lauacrum quoddam calidum, quo in occulto utebatur, ne eius usus a medicis intelligeretur, nomē rei erat decoctio. eo lauacro nitidiores & bonæ habitudinis reddebantur homines, unde qui ad huiusmodi rem ligna, lebetes, & ignem adhiberi uidebant, dictitabant homines ibi excoqui. Pelias aūt ob senectutē & imbecillitatem lauacri uim cum pati non potuisset, mortuus est.

De Omphale.

INEPTum est credere huic Herculem in seruitio fuisse, qui facile & illi & popularibus suis imperare potuisset. illud quidem accidit. Omphale Iordani Lydorum regis filia audita Herculis uirtute, in eius amorem incidit, nec Hercules ad eam ueniens male reddidit uices, & ex eo cōpressu natus est filius Laomedes. in precium uoluptatis instituit Hercules, ut penes Omphalem esset regni administratio, non autem se dedit in mancipitium, ut dementium est opinio.

De Cornu Amaltheæ.

FAMA est hoc Herculem secum deferre solitum, indeq; quæcunq; sibi libuissent exhiberi solita, & a tali re uera id dictũ est, cõtulerat se in Boeotiã Hercules ad Iolaũ nepotem suũ, & cum esset in Thepesiis, in quoddã diuertit hospitiũ, ubi & elegans & iuuenis erat caupona Amalthea nomine, cuius delitiis allect9 Hercules plusculos dies cũ ibi ageret, Iolaus iniquo animo id ferens, persensit feminã in cornu quodam reponere eam pecuniam quam a diuersoribus capiebat, indeq; callide ea sublata, quæ Herculi placebant emebantur, proinde qui in eodem erant diuersorio dictitabãt, ex cornu Amaltheæ Herculi parari quæcunq; uoluisset, indeq; est nata fabula.

De Hyacintho.

AMIclæus erat adulescens eximiæ pulchritudinis hyacinthus, hunc Apollo, hunc & Zephyrus uterq; uidit & incaluit, suisq; dotibus ambo ille sagittandi hic spirandi arte se ostentabant. Sed ab Apolline cantus & delitiæ, a Zephyro trepidatio & stridor ueniebãt. itaq; in dei amores concedit Hyacinthus, Zephyrum ingens ex Zelotypia indignatio & nocendi libido corripit. dabat se forte exercitationi puer, & ille ultionem meditabatur, & tanti mali minister aderat discus, qui ab adulescentulo missus, illius dolo repulsus est, sicq; Hyacinthus diem obiit, nec par uidebatur, e terra nullum tantæ cladis extare monumentu. ideoq; flos in locum iuuenis & eiusdem nominis editus est, addunt etiam nominis illius initia in foliis uideri descripta.

De Marsya.

RVsticanus uir Marsyas ita subito euasit musicus, cum

olim tibiis uteretur minerua, & ex sua imagine, quā fons reddebat, conspexisset quantū illæ uultus uenustatem deformarēt, eas protin⁹ abiecit, quæ collēctæ sunt a Marsya, oriq; appositæ cum sonum multis gratissimum redderent, & passim diuinū id munus laudaretur, mirifice co sermone offendebatur Marsyas, quippe qui uellet sui ingenii opus non diuinā uim nuncupari, audebatq; iam & musas & ipsum prouocare Apollinem. iactabat se haud uelle superuiuere, ni deus ab sese uictus esset, itaq; cōtigit, uictus enim pelle exutus est. & ego conspexi flumen in Phrygia Marsyam nomine, quod fama est, e Marsyæ sanguine fluere cœpisse.

De Phaone.

OMNE Phaonis studium erat in re nautica circa fretū maritimum, eam uero artem tanta exercebat probitate, ut a nullo male audiret, nec a pauperioribus naulum exigere solebat, q̃ res admirationē & laudē sibi & apud lesbios & apud deā quā uocāt venerē parauit, Ea uenus sese ætate senili dissimulans Phaonē cōpellat ad traiiciendū, ille festināter eam excipit, transfretat nihilq; mercedis petit, tunc dea hominem sic promerita est, e sene iuuenem & summæ fecit pulchritudinis. hic demū fuit ille Phaon, cuius causa amorem suum in luctum sappho cōuertit.

De Daphne.

LADonis fluminis amore tellus capta cum eo rem habuit, ex quo compressu Daphnen peperit, huius amore Pythius Apollo captus non destitit frequenter. flāmas suas puellæ indicare, sed frustra cum ei propositum esset uirginitatem seruare. Itaq; ui agere oportebat, iamq; fugienti puellæ instabat deus, cum illa matrem præ omnibus

orauit, uti ſeſe reciperet ſeruaretq; incorruptã, nec mater ceſsauit, filiæq; partẽ ad ſe traxit & arbor laurus iam ſtabat. hãc amator deus occupans nihil a mutatione potuit defendere, iam manus occultabãtur, iam caput frondibus tegebatˊ, tradditũ etiam eſt in Boeotiæ antro tripoda haud rite ſine lauro ſiſti poſse.

De Iunone.

HABent Argiui Iunonis numen ſibi præcipuũ & tanq̃ tutelare eamq; ob rem ſolennia ſacrificia in eius honorem facturi illa utuntur pompa. Trahitur a bobus maxime candidis plauſtrum, in quo ſacerdos ad templum uſq; deuehitur. Illud autem eſt extra urbem. Cum igitur huius celebritatis olim tempus adeſset, inſtitutioq; ſolita intermitteretur: quod boues non haberent, ſacerdos aduleſcẽtibus filiis ſuis in boum uicem adhibitis errorem qui committebatur correxit, boumq; quod fuerat officium, cum filios functos uideret, a Dea illius laboris mercedem in templo precata eſt, quod autem datum eſt (ut aiunt) fuit ſomnus, & cum eo illorum uitæ terminus iniectus eſt.

FINIS.

Ad Lectorem.

ADmonendus es Lector quæpiã in hoc libello authoris promisso non respondere, ueluti sunt Orionis, Marsyæ, Daphnes, Hyacinthi & Phaonis narratiões, quæ diuersam faciem ab operis argumẽto habere uideant᷑. Sed nec id bonis ingeniis obesse dabat, cum & fabulis sua sit fides, quã ignorare litterato uiro turpe sit. Boni proinde cõsules & illa didicisse et præcipue nouissimũ illud de Argiua sacerdote, quod nec illorum nec instituti operis speciem aliquam refert, uel ob hoc saltem ut ueteris illius sententiæ recordemur, malum non esse existimandũ quod sit Diis immortalibbs uel natura pauentum omnium constitutum.

IOANNIS CAMERTIS ORDINIS DIVI Francisci, in Palæphatũ, per Angelũ Cospũ in Latinum uersum, Epigramma.

Quid lyra, quæ reticet: portu quid condita puppis:
Tectaq; lux tenebris, utilitatis habent?
Vile, latens fructus, uirtus nisi tendat in usum
Fine caret, fortis præmia miles habet.
Thebani Bacchum celebrant: Ceceremq; Sicani,
In patriam hæc segetes: uina quod ille refert.
Hæc corpus recreant: mentem sed pascere dignum est,
Ima petit corpus: mens generosa polum.
Vnde Palæphatus hic prisco nõ uisus in æuo,
Tam subito Latias itq;, reditq; manus?
Angelus hunc Cospus (uiuat modo plura daturus)
Transtulit, en gestit uerba latina loqui.

IOACHIMI VADIANI HELVETII POETAE Laureati, in Idiotam Vatum detractorem: Epigramma.

Qui Vatum nugas, pensataqꝫ carmina uero
  Inflatus rides: huc Idiota ueni.
Et lege quæ Latio nunc ore Palephatus edit
  Quem uoluit Cospus Romula uerba loqui.
Cospus Felsineæ decus & noua gloria terræ
  Dum nitet & Græcis artibus & Latiis.
Inuenies certe/quo, si uelit Augur Apollo:
  Et tenebris possis cernere mente diem.
Et turpes animi næuos, errataqꝫ longæ
  Inuidiæ: sensu uel remouere nouo.
Quod si nulla tibi poterit Medicina furorem
  Demere, & hoc agitant astra maligna nefas,
Vt neqꝫ Diuorum summa ornamenta Poetas
  Nec dulces capias, suauiloquosqꝫ iocos.
Et sterili semper ueseris limine rerum
  Quo nullus ueri commoda sudor habet.
Cessabis saltem buccas inflare popello,
  Inqꝫ modum fandi guttur abibit iners.
Fabula grandiloquos gremio fouet apta recessus
  Et succum in uiridi cortice semper habet.
Seu de diuinis seu de terrestribus orta est
  Causa decens, uerax fabula Vatis erit.
Hanc tua Lethæo stillantia lumina tabo:
  Si non discernunt, culpa ferenda malo est.
Si uulgo ceues & uis te scire uideri
  Vt tibi displiceas huc Idiota ueni.

Impreſſum Viennæ Pannoniæ opera Hieronymi
Vietoris & Ioannis Singrenii Calcographoꝝ.
Impẽſis uero Leonardi & Lucæ Alantſee
fratrum bibliopolarum. Ciuium
Viennænſium, pridie Idus
Septẽbris. ANno
M.D.XIIII.
Regnante MAXImiliano. P. F. Aug.



De chr
F.
Relig
ne

Miscellanea